

nam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, et indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, et nominibus, et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis et aliis quibuslibet observantiis scriptis, vel non scriptis per quæ contra hos nostros processus, sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

» § XXV. Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores ac si ad verbum, nihil penitus omissis, insererentur, præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus, et omnino revocamus, cæteraque contraria quæcunque.

» § XXVI. Ut vero præsentis nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesiæ S. Joan. Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi fecimus, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

» § XXVII. Insuper, ut processus ipsi, et præsentis litteræ, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus, et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et locorum ordinariis, et prælatibus ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alios præsentis litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenit, solemniter publicent, et ad Christi Fidelium mentes reducant, nuntient, et declarent.

» § XXVIII. Ceterum patriarchæ, archiepiscopi, alique locorum ordinarii, et ecclesiarum prælati, necnon rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares, et quorumvis ordinem regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, casque diligenter legere, et percipere studeant.

» § XXIX. Volentes earumdem præsentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicio ordinarii Romani curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem in iudicio, et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

» § XXX. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

» Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, septimo Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

» Die, mense, et anno, quibus supra, supradicta Bulla affixa fuit ad valvas Basilicæ Apostolorum SS. Petri, et Pauli, S. Joan. Lateranensis, S. Mariæ Majoris, et alia loca solita, et consueta Urbis per me Matthæum Bertallerum Sanctiss. D. N. Papæ Curs. — Pro D. Mag. Curs. Ægidius Felicius Curs. »

130. *Inter specialia, quæ habent excommunicationes Bullæ Cœnæ, est, quid contra eas, nunquam valeat consuetudo, præscriptio aut non receptio.* — Resp. III. Excommunicationes Bullæ Cœnæ habent specialia sequentia. I. Quod sint latæ sententiæ. II. Quod sint specialissime reservatæ summo Pontifici, ita ut ab eis nullus quantumvis privilegiatus regularis absolvere possit, nisi in mortis articulo, neque Episcopus (nisi speciali privilegio de novo muniatur.) III. Quod nullus contra eas, vel potius contra builum, quaferuntur, valeat titulus, vel prætextus præscriptionis, consuetudinis quantumvis immemorialis, vel non receptionis, vel privilegii, vel dignitatis, uti partem ex ipsa Bulla, § 24, partim ex dictis supra, tit. 7, de Heret. constat, ubi a n. 70, late probavimus, contra Bullam Cœnæ nil valere titulum non receptionis, vel consuetudinis, aut præscriptionis et c. ubi vide.

131. *Doctrina practica extendens plures*

hodie esse excommunicatos per Bullam Cœnæ. — Inferitur, multos revera hodie existere, qui alicui ex præfatis excommunicationibus de facto subjacent, cum multos eorum in uno vel alio per Bullam Cœnæ sub excommunicatione prohibito delinquere, manifestum sit. Inter quos utique sunt iudices et officiales laici, qui quavis ratione impediunt iudices ecclesiasticos, quod causas ecclesiasticas debite prosequi, vel jurisdictione sua libere uti non valeat: item et illi, qui contra potestatem ecclesiasticam ad laicalem recurrunt, atque officiales illis assistentes. Hæc enim, proh dolor! passim praticari videmus, non obstante, quod sub excommunicatione inevitabili prohibita sunt in Bulla Cœnæ, § 17, n. 14, 15, etc.

132. *Non obstante, quod ut tales non denuntientur.* — Neque excusantur, quod contra eos etiam notorios in foro externo ecclesiastico plerumque non procedatur, neque ut excommunicati denuntientur, aut vitentur; quia per hoc minime relevantur, quid adhuc coram Deo, et in conscientia vere excommunicati existant, et effectibus excommunicationis supra allegatis in foro interno subjaceant.

133. *Et excommunicationes hæc non curentur.* — Minus excusantur, quod ab eis, et aliis nonnullis huiusmodi excommunicationes non curentur, sed rideantur tantum et contemnantur; veniet enim tempus, quo risus eorum vertetur in fletum, et stridorem dentium: præterquam quod interea etiam adhuc in hoc mundo præter ordinarios excommunicationis effectus, specialiter ob huiusmodi contemptum, vindictivam manum Dei teste experientia multiplici et varia sentire debeant; quantumvis iudices ecclesiastici, vel ad evitanda majora mala, vel quia nemo eos accusat, excessus sub excommunicatione prohibitos tolerant. (ADNOTATIO LI.)

§ V.

DE EXCOMMUNICATIS VITANDIS, ET CASIBUS, IN QUIBUS VITARI DEBENT: UBI ETIAM DE EXCOMMUNICATIONE MINORI.

134. *Excommunicati alii sunt tolerati, alii vitandi: et qui?* — Notandum prius, quod inter excommunicatos excommunicatione majori, alii sint, et dicantur tolerati, ex eo, quia Ecclesia tolerat ac permittit, quod illos

nullus fidelium vitare, sed cum eis sicut cum aliis tam in divinis, quam humanis, ac politicis communionem ac commercium libere habere valeant; ipsi excommunicatis toleratis nihilominus manentibus obligatis, ut præter alios effectus supra enumeratos, quantum in ipsis est, communionem fidelium tam in divinis, quam politicis vitent, eisque ultro se non ingerant, nisi ad id ab ipsis fidelibus requirantur, prout magis patebit ex dicendis infra n. 140. Alii excommunicati sunt, et dicuntur vitandi, ex eo quod non tantum ipsimet teneantur vitare omnem communionem seu communicationem cum aliis fidelibus, sed hi quoque teneantur vitare communionem talium excommunicatorum juxta dicenda infra n. 140.

135. *Hodie vitandi sunt soli publice denuntiati, et notorii percussores clericorum.* — Quæritur I. Quinam excommunicati? in quibus? et qualiter sint vitandi? Resp. Quamvis olim jure antiquo omnes excommunicati excommunicatione majori publici quidem, seu notorii publice, occulti vero occulte fuerint vitandi ab omnibus fidelibus, arg. c. *Cum non ab homine*, 14, h. t. tamen hodie post concilium Constantiense circa annum 1414, celebratum, ex mandato Martini V, nullus ex quacunque tandem causa excommunicatus, a fidelibus necessario vitandus est, nisi ut excommunicatus specialiter et nominatim quoad personam a iudice ecclesiastico publice sit denuntiatus; vel nisi sit notorius percussor clerici, ac propterea excommunicationi canonis, *Si quis suadente Diabolo*, subjectus. Communis ac certa, patetque clare ex constitutione Martini V, quæ incipit, *Ad evitandam*.

136. *Quinam dicantur publici percussores clericorum?* — Ubi notandum, tunc aliquem esse, et dici notorium percussorem clerici, quando factum illius adeo manifeste, et notorie constat, ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, prout loquitur Pontifex in citata Bulla: unde si percussio clerici adhuc est occulta, vel ita constituta, quod vel plene probari non possit, sed celari, vel ex aliqua causa excusari, ut si percussor probabiliter ostendat se ex joco duntaxat, vel inadvertentia percussisse clericum, vel ignorasse illum esse clericum; talis percussor non erit vitandus, prout communiter advertunt doctores.

137. *Juxta concilium Basileense omnes no-*

torii excommunicati sunt vitandi. — Et quamvis Felinus, in c. *Rodolphus de rescriptis*, n. 39, et Covar., p. 1, § 2, n. 29, cum Navarro, velint etiam post concilium Constantiense hodie adhuc vitandos non tantum publice denunciatos, sed et alios quoque excommunicatos notorios, id est, quos excommunicationem majorem incurrisset ita notorie constat, ut nulla tergiversatione celeri, nulloque juris medio excusari valeat; eo quod ita expresse statutum habeatur a conc. Basileensi, sess. 22, circa finem, quod concilium tanquam posterius conc. Constantiensi in hoc derogare, et consequenter servandum esse, volunt citati doctores eo, quia lex posterior derogat priori, c. 1, de const. in 6, et l. *Sed et posteriores*, 28, ff. de Legib.

138. *Cui contrarium prævalet concilium Constantiense.* — Tamen Layman, lib. I, tr. V, p. 2, c. 4, n. 1. Suarez, de *Censuris*, disp. 9, sect. 2, n. 5, cum communiori, et probabiliori aliorum volunt, non obstante concilio Basileensi servandum in hoc passu esse concilium Constantiense, et Bullam Martini V. Ad evitandam; consequenter procedere conclusionem n. 133, positam. Ratio est; tum quia concilium Basileense tanquam acephalum reprobatur ab Eugenio IV, et licet in paucis decretis, beneficiorum collationes, dispensationes, et absolutionem a censuris concernentibus, tamen non quoad reliqua universaliter fuit confirmatum: tum etiam quia Bulla Martini V, consuetudine, quæ est optima legum interpres, fuit jam recepta, et confirmata, prout specialiter videndum est in partibus septentrionalibus, ubi licet hæretici quantumvis notorie sciuntur excommunicati; sicut et alii quantumvis notorii excommunicati non vitantur, nisi vel publice denunciati, vel publici percussores clericorum existant: ut proin consilio Basileensi, etsi quid roboris ad præsens ex se haberet, jam derogatum fuisset per consuetudinem contrariam legitime præscriptam. c. fin. de *Consuet.*

139. *Fideles, quamvis non teneantur, tamen possunt vitare, et repellere quemvis excommunicatum, præsertim notorium.* — Illud tamen cum Layman, uti supra n. 2, § *Tertium*, Pirhing, h. t. n. 155, et aliis notandum, quod etsi reliqui fideles nullum quantumvis notorium excommunicatum vitare teneantur, nisi sit publice denunciatus, vel noto-

rius percussor clerici, possint tamen prohibitu, et favore suo vitare talem excommunicatum; consequenter superiori, cujus excommunicatio notoria est, obedientiam negare, iudicem, advocatum, rectorem, procuratorem, testem accusare, aut repellere, si notorie constat, eos excommunicationem incurrisset. Ratio est, quia per Bullam Martini V, prorsus nullus favor ipsis excommunicatis factus est, sed cæteris fidelibus duntaxat, quatenus, si velint, cum excommunicatis hujusmodi notoriis communionem habere possint: quo favore uti non tenentur, arg. l. *Invito*, 69, ff. de *Reg. jur.* ne quod in gratiam ipsorum concessum est, in eorum retorqueatur dispendium, c. *Quod in gratiam*, 61, de *Reg. jur.* in 6.

140. *Excommunicati etiam tolerati tenentur, quantum possunt, communionem aliorum vitare.* — Ulterius notandum, quod etsi cæteris fidelibus permissum sit, communicationem habere cum excommunicatis toleratis, hi tamen nihilominus tam in divinis, quam in politicis communionem fidelium, quantum possunt, vitare teneantur, ita ut eisdem ultro se ingerere non valeant, nisi ab eis requirantur; eo quod Martinus V, per suam Bullam solis reliquis fidelibus, minime vero excommunicatis in aliquo favore, vel eos in aliquo tolerare sed eos sicut vitandos cunctis excommunicationis majoris effectibus supra enumeratis subjectos remanere intenderit; prout liquet ex verbis Bullæ, quibus in fine expresse protestatur, « quod per hoc non intendat, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomolibet suffragari. »

141. *Casus in quibus vitandos oportet vitare.* — Resp. II. Casus, in quibus vitari debent publice et nominatim denunciati, ac notorii percussores clericorum, seu vitandi excommunicati, compendiose comprehenduntur sequenti versiculo, qui versiculus et casus desumuntur, ac potissimum probantur ex can. *Excom.* 17, cau. 11, q. 3, ubi expresse prohibetur, ut nullus cum excommunicatis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat, etc. »

Os, orare, vale, communico, mensa negatur.

142. *Inter quos est 1. Collocutio aut discursus etiam per litteras.* — Ubi per *Os* intelligitur collocutio et discursus cum excommunicato, etsi per litteras, internuntium, vel alia

signa fiat. Similiter ratione hujus particulæ prohibentur oscula, amplexus, et alia hujusmodi signa amicitie, necnon receptio munerum, Bon., t. I, disp. 2, de *Excomm. pun.* 6, c. 2, et alii. •

143. *II. Oratio cum illis.* — Per *Orare*, prohibetur omnis communis in sacris, aut divinis; puta in orationibus, processionibus, Missis, et aliis divinis officiis. Hinc non licet fidelibus orare cum excommunicatis vitandis (bene vero licet privatim orare pro ipsis per dicta supra) vel Missam audire, nec hanc celebrare coram ipsis.

144. *III. Auditio Missæ, ac divinorum. Quid iuris, si excommunicatus durante Missa ingreditur Ecclesiam.* — Quod si Missa jam inchoata Ecclesiam ingrediatur Missam auditurus excommunicatus vitandus, moneri potest et debet, ut exeat; si vero monitus exire recusat, novam excommunicationem Papæ reservatam incurrit, Clem. 2, h. t. potestque per vim expelli. Si autem nec hac via, forsitan ob potentiam ejus ab Ecclesia expelli poterit, erunt officia divina, præsertim vero Missa omittenda; dammodo sacerdos nondum venerit ad canonem, vel, ut alii volunt, ad consecrationem; tunc enim oporteret eum pergere usque ad summptionem, ne sacrificium maneat incompletum. Peracta tamen summptione calicis sacerdos debet discedere, ac reliqua peragere in sacristia, vel penitus omittere, si talis locus non adsit. Verum reliqui fideles, excepto ministro altaris, statim ut appareat, excommunicatum monitum nec velle egredi, nec posse expelli ab Ecclesia, debent discedere; quia alioquin participarent, in divinis cum excommunicato, sicque peccarent et excommunicationem saltem minorem ipsimet incurrerent per dicenda infra n. 165. Bonac., l. c. punct. 3, § 4, n. 3. Herinex, disp. 5, de *Censur.* p. 6, n. 28. Sannig., disp. 2, de *Excom.* q. 2, n. 8, et alii.

145. *IV. Amica, vel honorifica salutatio.* — Per *Vale* prohibetur omnis honorifica, vel etiam amica salutatio, etiam signis, et gestu facta.

146. *V. Quævis communicatio in politicis.* — Per *ly Communio* quævis conversatio, et communicatio politica in contractibus, judiciis, laboribus, exercitiis, etc., nullatenus siquidem licitum est cum excommunicato inire contractum, stare cum ipso in judicio, collaborare, aut idem onus facere cum illo.

147. *VI. Communicatio in mensa, cibo et potu.* — Tandem per *ly Mensa* communicatio in conviviis, in cibo et potu: nec enim licitum est comedere et bibere cum excommunicato vitando, etiamsi cum aliis sit in eadem domo, collegio, convictu, monasterio.

148. *Absque causa communicans in aliquo dictorum peccat, et excommunicationem saltem minorem, et subinde etiam majorem incurrit.* — Resp. III. Quicumque absque causa rationabili excusante communicat in aliquo dictis casibus cum excommunicato vitando, peccat, et excommunicationem incurrit, hac cum distinctione, quod, si communicatio sit notabilis, et in divinis saltem publice celebratis, peccet mortaliter; si vero est in politicis, venialiter, Navarrus, *Manual.*, c. 17, n. 29. Bonac., l. c. punct. 6, n. 5, cum communi aliorum. Et si quis a Papa per sententiam nominatim est excommunicatus, ac publice denunciatus, communicans cum eo clericus incurrit excommunicationem majorem, Laicus vero minorem, Sylvester, *ŷ. Excommunicatio*, 5, n. 22. Barb., in c. *Significavit*, 18, h. t. n. 2, et ibi Gonzalez, n. 4, arg. cit. c. *Significavit*, juncto can. *Excommunicatos* cau. 11, quæst. 3.

149. *Præsertim si communicat in crimine criminoso. In crimine criminoso communicare, quid?* — Porro si quis cum excommunicato communicat in crimine criminoso, id est, si quis cooperatur crimini et contumaciæ; propter quod lata est excommunicatio in aliquem, præbendo eidem auxilium, consilium, aut favorem, præter peccatum mortale incurrit etiam excommunicationem majorem juxta communem, eo quod facientem, et consentientem par poena constringat, c. *Nuper*, 29, et c. *Quod in dubio*, h. t.

150. *Dantur plures casus, ob quos licet communicare cum excommunicatis vitandis: inter quos.* — Quæritur II. An, et quæ sint causæ, ob quas a peccato, et excommunicatione excusatur is, qui cum excommunicato vitando communicat? Resp. I. Omnino dari causas, ob quas absque reatu culpæ et censuræ licet communicare cum excommunicatis etiam vitandis, prout plures hujusmodi causæ specificantur can. *Quoniam multos*, 103, cau. 11, q. 3, quæ sequenti versiculo communiter exprimi solent.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

151. *I. Est utilitas temporalis et spiritualis*

excommunicati, et communicantis. — Prima itaque causa per ly *utile* donata est utilitas tam temporalis, tum spiritualis tam excommunicati, quam communicantis, sic enim propter utilitatem spiritualem excommunicati licet eum verbis, et facto exhortari ad ejus conversionem, et resipiscentiam, atque cum illo conversari de illis, quæ pertinent ad absolutionem, textu expresso, c. *Cum voluntate*, 54, prin. h. t. et propter utilitatem communicantis licet ab eo debitum exigere, c. *Si vere*, 34, h. t. eumque convenire in judicio, c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*; vel ab eodem medico, avvocato, aut alias experto medicinam, vel consilium petere, quando non adest alius, qui æque utiliter consulere potest, Laym., lib. I, tr. III, p. 2, c. 2, n. 16. Bonac., ubi supra q. 2, punct. 6, § a n. 9. Sylvester, §. *Excommunicatio*, n. 4. Avila, de *Censuris*, disp. 11, n. 2.

152. II. *Lex matrimonii, vi cujus uxor cum viro excommunicato, et hic cum ea omnem habere potest communionem, uti prius.* — Secunda causa per ly *lex* indicata est lex matrimonii, vi cujus potest uxor cum viro excommunicato denunciato communicationem habere uti prius quoad thorum, et cohabitationem in exigendo et reddendo debito, in colloquiis familiaribus, in mensa, in gubernatione domus, cit. c. *Quoniam multos*, 103, cau. 11, q. 3, juncto c. *Inter alia*, 21, h. t. quod idem licet excommunicato marito respectu uxoris, arg. c. *Inter alia*, ubi socio excommunicato licita est communicatio cum socio, quam prius habebat in contractu societatis. Accedit: tum quia in correlativis dispositum de uno, censetur dispositum de altero, ubi eadem de utroque est ratio, uti ad præsens, ubi animæ periculum, et utilitas domestica, ob quod uxori permissa est communicatio, in marito æque procedit, ac in uxore, Layman, loc. cit. Navarrus, c. 27, n. 27. Sylvester, ubi supra cum communi.

153. III. *Est subjectio, vi cujus liberi cum parentibus excommunicatis, et subditi cum superioribus, ac reciproce communicare valent.* — Tertio causa per ly *humile* intimata est subjectio, ratione cujus liberi cum parentibus excommunicatis, servi et subditi cum dominis, vel superioribus suis, milites cum ducibus belli communicare non prohibentur, arg. cit. can. *Quoniam multos*, cau. 11, q. 3. Sicut e contra excommunicati parentes, domini, superiores cum liberis, etc.,

communicare possunt; cum ratio, ob quam his conceditur communicatio, evitatio videlicet periculi animarum, etiam in his militet. Doctores num. præc. citati.

154. IV. *Est ignorantia tam juris, quam facti.* — Quarta causa per ly *res ignorata*, indigitata est ignorantia tam juris quam facti, qua quis vel ignorat, aliquem esse excommunicatum: vel id scit quidem, ignorat tamen, eum propterea esse vitandum, dummodo ignorantia crassa non sit, c. fin. de *Constit.* in 6. Layman, loc. cit. n. 16, §. Quarto. Pirhing, h. t. n. 118.

155. V. *Est necessitas tam excommunicati, quam communicantis.* — Quinta causa per ly *Necesse* indicata, est necessitas quæcunque notabilis, sive se teneat ex parte excommunicati vitandi, sive ex parte communicantis, vel alterius, sicque necessitas animæ vel corporis, vel famæ, vel fortunæ; idque sive necessitas proveniat ex violentia, vel metu gravi injuste incusso, sive aliunde ex defectu subditorum vitæ, victus, vestitus, medicinæ, consilii, auxilii necessarii, etc., can. *Quinam*, 103, c. *Inter alia*, 1, et c. *Si vere*, 34, h. t. Laym., loc. cit. n. 10, §. Ultimo, Suarez, de *Censur.*, disp. 15, sect. 3, n. 8. Hinc potest ab excommunicato eleemosyna peti et accipi, quando quis indiget; potest etiam cum illo communicari in loco, ubi adhuc est bonæ famæ, si alioquin foret infamandus; potest insuper ab eo aliquod peti necessarium consilium, vel auxilium, si aliunde haberi non potest.

156. *Excommunicatio minor quid sit.* — Quæritur III. Quid sit? quem effectum habeat? et quando incurrat excommunicatio minor? Resp. I. Quamvis excommunicatio minor olim fuerit varia, adeo ut subinde aliqua privarit sola communionem hominum; alia perceptionem solius Eucharistiæ; alia perceptionem sacramentorum omnium, prout patet ex variis canonibus cau. 11, q. 3, hodie tamen sola postrema viget; indeque bene definitur, quod sit censura ecclesiastica privans solo usu passivo, seu perceptione sacramentorum quorumcunque. Est in re communis et certa, arg. c. *A nobis*, 2, de *Except.* et c. *Si quem*, 59, h. t. et c. *St celebrat.* de *Clerico excommunicato*, ubi de excommunicato excommunicatione minori habetur, quod « non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus. »

157. *Ejus effectus, quod sine peccato mor-*

tali non possit recipere aliquod sacramentum. — Hinc patet ad secundam quæsitam partem, videlicet effectum principalem, et directum excommunicationis minoris in hoc solo consistere, quod quis licite nullum recipere possit sacramentum, adeo, ut graviter peccet, si hac excommunicatione innodatus aliquod recipiat, textu claro, c. fin. de *Clerico excomm. minist.* et ibi doctores.

158. *Quare dicatur excommunicatio minor? Non est reservata sed potest in foro interno absolvi a quovis jurisdictionem absolventi a peccatis habente.* — Cæterum dicitur excommunicatio hæc minor, non quod sit in se quid leve, sed respectu majoris: tum quia illa minores habet effectus, quam ista, et hæc non nisi propter peccatum mortale, illa vero subinde etiam ob peccatum veniale incurritur per dicta superius; tum etiam quia excommunicatio minor nunquam est reservata, indeque a proprio excommunicati parrocho, vel alio habente jurisdictionem absolventi eum a peccatis, absolvi in foro interno potest excommunicatus, c. *Nuper*, 29, h. t. In foro externo autem is absolvit, qui ad id jurisdictionem habet.

§ VI.

DE SUSPENSIONE.

159. *Suspensio quid? — Quæritur I. Quid? et quotuplex sit suspensio?* Resp. I. Suspensio est censura ecclesiastica, qua prohibetur minister Ecclesiæ ab aliquo actu ecclesiastico alias sibi competente. Ita in re communis Doctorum. Ubi ly *Censura* ponitur loco generis, reliqua vero loco differentiæ: quamvis Scotus in 4, dist. 25, q. 1, addat ly, *et hoc ad tempus*, ut sit clarius discernatur suspensio a depositione verbali, quæ privat ministerio actuum ecclesiasticorum in perpetuum, et absque spe restitutionis.

160. *Datur etiam in perpetuum; sed tunc potius est depositio verbalis.* — Nec obstat, quod detur etiam suspensio in perpetuum, juxta Glossam in Clement. *Cupientes*, de *Pœnis*, v. *Suspensi*. et doctores passim. Resp. enim cum Laymano, lib. I, tr. 5, p. 2, cap. v, n. 1, allegante Navarrum, Panormitanum, et alios, suspensio in perpetuum, et sine spe restitutionis si sit totalis, videlicet ab omni officio et beneficio, eam in effectum censendam esse depositionem; nam depositionis poena cum suspensione magnam similitudi-

nem gerit, ac proinde in sacris canonibus hæc duæ poenæ interdum promiscue usurpantur.

161. *Suspensio alia est latæ, alia ferendæ sententiæ.* — Resp. II. Suspensio varie dividitur, ut bene notat Glossa citata, et communis Doctorum. Nam primo alia est latæ sententiæ, quæ scilicet ipso jure infligitur delinquenti: alia ferendæ sententiæ, quæ primum per sententiam judicis ob delictum imponitur.

162. *Alia a beneficio, alia ab officio; alia ab utroque simul: alia partialis, alia totalis.* — Secundo, suspensio alia est ab officio, alia a beneficio; quarum utraque dividitur in totalem et partialem et alia ab officio et beneficio simul. Suspensio ab officio dicitur ea, quia prohibetur executio ordinum, vel aliarum functionum, quæ alias ratione ordinis aut muneris, seu officii ecclesiastici incumbunt. Suspensio a beneficio est, qua fructus sui beneficii clericus administrare et percipere prohibetur. Hæc utraque dicitur totalis, si quis ab omni prorsus officio, vel perceptione omnium fructuum suspenditur. Partialis vero quando unus spiritualis actus ordinis aut muneris ecclesiastici cuiuspiam prohibetur, aut pars tantum aliqua fructuum beneficialium subtrahitur. Layman lib. I, tr. 5, p. 3, cap. 1, n. 2. Pirhing h. t. n. 198.

163. *Soli Clerici proprie suspendi possunt.* — Quæritur II. In quem possit cadere suspensionis? Resp. I. Omnes et soli clerici, præter Papam, possunt incurrere Censuram suspensionis: unde hæc est propria clericorum, et quæ laicis non competit, quamvis excommunicatio, et interdictum sint censuræ clericis et laicis communes. Layman, ubi supra, Palao, tract. 29, disp. 4, pun. 1, n. 1, arg. c. *In Ecclesiæ* 2, de *Insti.*

164. *Superiorissæ Monialium suspendi quidem possunt ab officio suo; tamen hæc non est proprie suspensio.* — Existimat quidem Layman loc. cit. cap. 1, n. 1, post Henriquez, non improbabiler etiam in abbatissam, priorissam, et alias hujusmodi præfectas monialium posse cadere censuram suspensionis ab officio. Verumtamen hæc potius est suspensio ab officio suæ œconomiae ejusque actibus quam ab actibus ecclesiasticis, ratione ordinis clericalis cuiuspiam competentibus, utpote cum ea sit incapax omnis tum ordinis clericalis, tum veræ jurisdictionis ecclesiasticæ.